



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

S. Carolus Borromæus n. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

## CLASSIS III.

## A CARDINALIBVS.

1. **A** S. CAROLO BORROMÆO : *Cuius mens extat in Diplomate Gregorij pro fundando Collegio Mediolanensi :* Solicito (*inquit*) considerans animo , quantam Reipublicæ Christianæ afferre consueverint vtilitatem Collegia dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis IESV optimè in pluribus Christiani Orbis partibus sanctissimè , & piè instituta. Ipsi enim nullam prætermittentes occasionem , qua in proximum charitatem suam exercere valeant , per totam terrarum orbem dispersi , neque sacculum , neque peram assumentes , & afflati spiritu , qui dat cuncta bona timentibus eum , non solum hic , & per totius Italiæ oras , verum etiam ab Aquilone ad Austrum retia tendentes ; & iam non piscium , sed hominum piscatores effecti ; eius ductu , qui summa charitas , & bonitas est , quotidie non cessant ministerium suum adimplere , fideles & infideles in vias , & semitas rectas adducendo , ac populos vbique dispersos , tam exemplo boni operis , quàm doctrina confirmando : tantaque in eos inualuit proximi charitas , vt ad Indos , & regiones incognitas secedentes , & per Martyrij palmam infideles ad Christi fidem reuocare non dubitauerint ; ita vt meritò cum exultatione referre possint : Domine , quinque talenta tradidisti mihi , ecce alia quinque superlucratum sum , &c. *Ita Eminentiſſ. Cardinalis apud P. Nigron. in Comment. Regul. Soc. Tit. Par. 3. num. 12.*

**A**B EODEM , *præter donatam Aronensi tirocinio domum , tria condente , dotanteque Collegia , Mediolani vnum , per Heluetiam duo :* Futura (*vt putabat*) non tam suæ munificentiae testimonia , quam Religionis per eas oras firmamenta. *Ita apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 2. cap. 4. fol. 209. ex Glusano in eius vita.*

H 3.

Item

Commen-  
datur So-  
cietas ex  
Collegiorū  
vtilitate.Et ex filio-  
rum erga  
proximos  
charitate.Qui diuino  
afflati spiri-  
tū incessanter  
suum mi-  
nisterium  
adimplent.Hominum  
piscatores  
effecti.Eorum  
charitas ad  
incognitas  
Indorum  
regiones  
penetravit.Matth. 25  
20.Societatis  
Collegia.  
Religionis  
firmamen-  
ta.



S. Caroli in  
Societatem  
beneuolen-  
tia signa.

Item non modicam beneuolentiae significationem erga Societatem præ se semper tulit Borromæus Sanctissimus, & hoc propriè primum Mediolani, quo die S. Felicis Templum apertum est, post Sacrum in eo magnificè factum, conuiuia se Patribus, cum suorum honestissimis commodato, deinde Romæ post addita per benigne cetera Societatis Domicilia, Collegij cohonestata mensa, illud addidit beneficium, quod iam dudum petebatur, ut Seminarij Mediolanensis procuracione Societatem exoneraret. Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 7. n. 54.

Et exerci-  
tiorum  
æstimatio.

AB EODEM, mire vim, & energiam Exercitiorum S. P. Ignatij commendante: Cum Dux Mantuanus eius bibliothecam uisisset, mirificeque laudaret, conuersus ad illum Carolus, Paruulum (inquit) in pulpito libellum habeo, è quo plus haurio, quam è reliqua bibliotheca, quia nempe purius, & plenius tanquam ex ipso fonte. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 10. fol. 381. sic sanctus ille Mediolanensis Archiep. de aureo illo exercitiorum libello sentiebat.

Socij in  
puerorum  
educatione  
ceteris  
præferun-  
tur.

2. AB INTERPRETIBVS. Concilij Tridentini in obseruat. declarat. eiusdem Concilij ad sess. 23. de Reformat. cap. 18. n. 33. Ante omnia (inquiunt) in Seminarijs constituendus est Grammaticus, & Musicus, qui pueros instruunt, & si reperiantur IESUITÆ ceteris antèponendi sunt. Ita illi. Grauis sane laus: tum quia ab Eminentiss. Principibus profecta, tum etiam quod hac in re nostrorum operam præ ceteris absque ulla exceptione commendat.

Societas  
per orbem  
cum maxi-  
mo anima-  
rum fructu  
patet.

3. A PRÆSIDIBVS. Eiusdem Concilij: Religio (inquiunt) Presbyterorum Societatis IESV, quæ iam latissimè per Christianorum, & Gentium etiam prouincias (Deo quod cœpit Opus promouente) cum maximò animarum fructu patet, instituta in Ecclesia Dei, & approbata per Sedem Apostolicam fuit. Ita in Diplomate dat. Trident. 1. Nouemb. ann. 1561. apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 666. Item pro Societatis innocentia in quadam persecutione ijdem Eminentiss. Cardinales affirmarunt, Nunquam neque sanctissimum Dominum, neque ipsos de sinceris studijs, innocentiaque Societatis dubitauisse:

De eius in-  
nocentia  
Pontificis,  
& Cardin.  
iudicium.